Quaestiones cum brevibus Responsionibus.

1. An stante mandato Pontificis, ut ad Protestationem deveniatur, cum praeiudicaretur Concilio Tridentino, quod ad dogmata pertinet, et affirmantib. interim expressè Theologis huic Concilio per confirmationem pacis quoad dogmata non praeiudicari, sit nihilominus ad protestationem deveniendum?

R. Donec Pontifex Maximus certi aliquid respondeat non videtur ad protestationem publicam, et solemnem, vel ob quam metuitur periculum esse deveniendum.

2. An protestatio Caesari coram Notario, et testib. facta probabiliter credatur molesta, et cum offensione Caesaris ac Religionis futura esse?

R. Videtur illa Caes. molesta, et cum eius offensione futura, et verendum ne eam iactura etiam Religionis in multis fiat hoc tempore.

3. An timendum ne Protestatio det Schismati occasionem?

R. Videtur timendum ne inde sumatur occasio schismatis, aut saltim ne minor sit unio Statuum Cath.cor. cum capite suo Pontifice Max.o unde initium schismati consequi possit.

4. An Car.le Augustano, et Oratore Regis Cath.ci et Theologis omnibus monentibus ne protestatio fiat, sit nihilominus protestandum?

R. Non videtur nisi allata clariori Pont.ci Maximo sententia, ut dictum est.

5. An possit haec Protestatio fieri etiam post Comitia.

R. Videtur fieri posse per quem, et quemadmodum voluerit S.mus Pontifex, modo interim constet nō consensisse Ill.mum Dominum Legatum.

Haec à nobis dicta sint, et subiecta reverenter iudicio S.mi D. N. Et S.te Sedis Ap.ca omniumq. rectius sentientium.

Hieronymus Natalis.
Petrus Canisius.
Jacobus Ledesma